



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. De carnalibus & Euangelicis malis hominibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tingat. Non igitur solum damnantur, qui non credunt, & extra Ecclesiam sunt peccatores, sed etiam qui intus sunt in Ecclesia, quorum fides mortua est: illis multo deterius erit: haec nos merito terrere debent, ne in lasciuam carnis transferamus Christi beneficia. Grauius peccat Euangelicus adulter, fur, homicida, &c. quam mundanus & infidelis adulter, homicida, &c. Nihil proderit iactare Christum ore, & vita atque factis eum negare, ad Titum 1 Magna promissimus in baptismo, inquit Augustinus, sed maiora obtinebimus: nemo igitur mittens manum ad aratrum, & retrospectans, aptus erit regno Dei, &c. Si quis ergo peccauit, redeat ad poenitentiam, & repetet misericordiam. Quam grauius Deus irascatur his peccatoribus, qui gratuitam gratiam non retinent, Iudas Apostolus in sua Canonica testatur, & exemplificat de Angelis in caelis, Esa. 14. De filiis Israel in deserto, qui iam exierant Aegyptum & liberati fuerant e manu Pharaonis, qui prostrati sunt propter peccatum in deserto, Num. 11 & 25 & de Sodoma quae abundantiam beneficentiae Dei accepit in omnibus fructibus, Gen. 13. Ut igitur illi oes grauius puniti sunt, sic etiam grauius punietur qui non retinuerunt acceptum Christi beneficium. Deinde tales iustificatione perditos, peiores efficiuntur, ita ut perinde illis sit, ac si nunquam recesserit Diabolus, & nunquam fuissent iustificati: id Apostolus ibidem exemplificat de Cain Gen. 4. Balaam, Numero 22. & 23. & 24. & Chore, Numer. 16. qui contra apertam conscientiam peccarunt & contra veritatem: nihil igitur proderit accepisse iustitiam, nisi quoque retineatur: alioqui sunt nubes sine aqua, arbores sine fructibus, fumus sine igne, sidera errantia: quales sunt Christiani per plurimum solum nomine, qui viuunt genialiter secundum desideria carnis, & volunt tamen vocari & mereri coelum, sicut catechizati boni Christiani. Caueamus igitur & timeamus: nam

Luc 9.

nam

nam veniet Dominus ad iudicium & cetera. sicut prophetauit Enoch.

CAPVT XXIII.

ARGVMENTA.

1. *De hoc seculo quòd non timeat Dei iustitiam & extremum iudicium.*
2. *De timore Dei & iustitia ante oculos habenda.*
3. *De magistratu, quòd non puniat delicta populi.*

1.



Xperientia docet, quàm sit hoc seculum sine omni timore Dei, solumq; iactans misericordiam, fidem Christi & merita eius: verùm vita & moribus non timet Deum offendere, neq; putat Deum vlcisci peccata, sed solùm esse misericordem ob Christi satisfactionem, & non amplius peccata punientem: æstimat autem se adedò iustum & iam saluum, nò ponderans quòd beata virgo canit Luc. 1. Et misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum: timentibus dicit, non liberè & lasciue viuentibus. Et Exod. 20. Ego Deus faciens misericordiam in mille, qui seruant præcepta mea. Pro quo notandum, quòd postquàm Deus creauit hominem, posuit illum in Paradisum, Genes. 2. Creauit autem illum in originali iustitia sine omni macula & peccato in perfecta innocentia: deindè, quatenus illam innocentiam & originalem iustitiam seruaret & non perderet, dedit illi præceptum, ne de ligno scientiæ boni & mali comederet, non vt obseruatione illius præcepti mereretur iustitiam originalem, quam iam gratis acceperat in creatione, sed vt illam retinerent vnà cum vita naturali: adiecit quoque minas, inquiens: Quacunq;

dit